

Dilectis filiis .. preposito Curiensi<sup>1</sup> et.. eiusdem<sup>2</sup> ac sanctorum Felicis et Regule Turicensis<sup>3</sup> Constanciensis diocesis cantoribus ecclesiarum salutem etc. Prudentum virginum votis, que spreto mortalis viri thoro, ei qui speciosus est p[re]ae filiis hominum desp[on]sari desiderant, debemus et volumus favorabiles inveniri. Cum itaque dilecta in Christo filia Agnes dicta Veislin de Vadutz<sup>4</sup> puella litterata Curiensis diocesis, que ut asseritur in quartodecimo etatis sue anno vel circiter constituta existita<sup>a)</sup>, cupiat sicut accepimus in monasterio Lindauensi<sup>5</sup> ordinis sancti Augustini<sup>b)</sup> Constanciensis diocesis, in quo certus monialium numerus esse dinoscitur institutus, una cum dilectis in Christo filiabus .. abbatisse<sup>c)</sup> et conventu dicti monasterii sub regulari habitu virtutum domino famulari, nos volentes eandem Agnem in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alias eandem Agnem, si sit ydonea et aliud canonicum non obsistat, faciat auctoritate nostra in dicto monasterio, si aliqua de dicto numero deest ad presens vel quamprimum defuerit, in moniale recipi et sororem sibi que regularem habitum iuxta ipsius monasterii consuetudinem exhiberi ac ei de communibus eiusdem monasterii proventibus sicut uni ex aliis dicti monasterii monialibus integre provideri ipsamque ibidem sincera in domino caritate tractari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia robora- tis, aut si pro aliis scripta forsan apostolica ibidem sint directa, seu si eiusdem abbatisse et conventui vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem aliquius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Dat. apud Villam nouam<sup>6</sup> Auinionensis<sup>7</sup> diocesis, XIII. kl. iulii, anno primo.

---

109. <sup>1</sup>Friedrich v. Tengen, 1371–1374 Dompropst. – <sup>2</sup>Johann v. Mehlshofen, 1346–1377 Domcantor. – <sup>3</sup>Johann Teutnang, † 1392 als Cantor des Grossmünsters Zürich. – <sup>4</sup>Vaduz. – <sup>5</sup>Kanonissenstift Lindau, bayer. Schwaben. – <sup>6</sup>Villeneuve, dép. Gard. – <sup>7</sup>Bistum Avignon.